

PIST. *Germen* lineare, lateribus sulco impressis. *Stylus* filiformis, sursum crassior, mox in *Stigma* planum, oblongum, obtusum, glabrum desinens.

PER. *Legumen*, ut in altera specie, lineari-subulatum, digitale & ultra, lateribus sulco profundo notatum.

Differt ab alia specie caule tenuiore, foliis lanceolatis, bractearum copia & figura, floribus axillaribus nec spicatis, flore minote, intensius cæruleo, nec nigro; hinc inde carinæ basi forte &c.

118. MELOCHIA flore albo. (*Melochia pyramidata?*).

*Caulis* erecti, tri-vel quadripedales, ramosi, frutescentes; ramis aliquot erecto-patentibus, pubescentibus.

*Folia* parva, duar. vel trium linear. longitudine; ovalia, venoso-plicata, fusco-viridia, ferrata pro plicaturis, concava. *Petiolus* teres, brevis, hirsutus, lineæ circ. longitudine. *Stipula* duæ, subulata, erectæ.

*Flores* in umbella, 3-7, erecto-patuli: umbella opposita foliis, non axillaris, pedunculo communi brevi 1-2 linear. elevata; pedicellis linearibus vel bilinearibus, erecto-patulis, puncto f. centro emergentibus. *Bractea* setacea, singulis floribus binæ, patulæ.

CAL. *Perianthium* monophyllum, campanulatum, ultra medium quinquepartitum: laciniis lanceolato-acutis, apice subulatis, erectis, leviter laxum.

COR. monopetala, erecta: petalis basi connatis cum filamentibus.

STAM. *Filamenta* quinque, basi connata cum corolla, longitudine circ. calycis, subulata. *Antheræ* oblongæ, incumbentes.

PIST. *Germen* oblongum, acutum. *Stylus* subulatus, sursum quinquepartitus: laciniis capillaribus, patentibus. *Stigmata* oblonga.

PER. *Capsula* pentagona, angulis compressis; apice acuminata, quinquelocularis.

SEM. oblonga, inde acuta.

Hæc corolla alba. Differt ab altera foliis minoribus, ovalibus, viridibus, nec tomentosis; Umbella foliis opposita, nec axillari, Bractea subpedicellata; Corolla minore, Capsula minore angulis sursum vergentibus nec inferiora versus, nec lateraliter &c.